



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

737. An simoniacum sit coram Ordinariis resignare beneficium in favorem tertii ex causa permutationis; dum tertius ille non habet beneficium permutandum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

sultius agat Episcopus pro bono regimine Ecclesie vitando, quantum potest, eam pluralitatem (et si de cetero jus permittat haberi duo beneficia compatibilia ab uno pro sufficientia sustentationis; id enim est quasi mera indulgentia & permissio) concludit n. 154. non posse esse simoniam, dare beneficium sub conditione, ut fiat id, quod conformius est juri canonico, & utilius ad bonum regimen Ecclesie; nempe ut ad vitandam dictam pluralitatem renunciaret prius habitum; ac ita Episcopum non fore simoniacum, si dicat: *confero tibi beneficium sub conditione, ut agas id, quod conformius est juri canonico, & bono Ecclesie regimini, quale est, ut collato tibi tali beneficio resignes prehabitu.*

6. Quod si contra hanc rationem opponas illud, non inesse de jure, quod jus non precipit, etsi autem conformius sit juri vitare pluralitatem beneficiorum etiam compatibilium, jus tamen id non precipiat. Respondet n. 159. non inesse quidem dictam resignationem de jure precipiente, inesse tamen de jure consulente; non autem minus esse de jure, quod jus consultat, quam quod precipit; eod quod, cum juxta Apostolum amulari debeamus charismata meliora, id, quod jus approbat, ut melius & utilius Ecclesie, debeamus amulari ac sequi tanquam à jure injunctum. Quin & n. 162. ex eod dictam conditionem resignandi prehabitu inesse de jure etiam absolute; quia de jure absolute inest, ut Episcopus servet justitiam distributivam in distribuendis beneficiis, & ad hanc requiratur, quod abundantibus aliis, alii forte digniores non mendicent nihil habendo.

7. Denique tertiam ponit rationem à n. 163. nempe quod dato, illam conditionem resignandi prehabitu non inesse de jure, ad huc illa conditio non faciat collationem simoniacam ex eo; quod, licet omnis pactio, quæ fit circa spiritalia, aut spiritalibus annexa sit simoniaca, excipiat tamen ab hac regula translatio ab una Ecclesia ad aliam, sive fiat per modum permutationis, in qua invenitur pactum utriusque beneficiati; sive per modum translationis, modo id fiat auctoritate Episcopi. Si enim possit auctoritate sua Episcopus transferre personas facta prius inter beneficiatos invicem pactio, possit etiam transferre personas pactitendo pro bono regimine Ecclesie, eod quod, sicut pactio beneficiatorum honestatur, si fiat permutatio auctoritate Episcopi, ita honestandam etiam pactio, quæ facta fuerit ab Episcopo, pro utilitate & bono regimine Ecclesie. Pro qua ratione confirmanda adducit, quod docere ait Tho. Sanch. Lopez. Cordub. Eman. Rodriq. nempe, quod, si Episcopus det alicui tenue beneficium sub conditione, ut illud resignet, casu quo obveniat ei pinguius, licet possit dare pinguius sub ea conditione, quam promisit, nempe resignandi tenue prehabitu. Verum de hoc ipso pari modo dubitari potest, an non sit simoniacum, sub tali conditione conferre tenue; quod ipsum bene advertit Cardenas n. 167. dum ait: *vel utraque provisio, vel neutra est simoniaca.* De cetero, si contra hanc rationem opponas, quod, licet Episcopus habeat potestatem auctoritative, & potestative approbandi permutationes aliorum, & pacta in eis inita, non tamen ex inde sequatur, habere quoque illum potestatem approbandi & justificandi pacta à seipso inita; adeoque non sequatur, posse eum justificare pactioem initam cum eo, cui confert beneficium, dando illud sub conditione, ut aliud renunciaret. Ad hoc in-

quam, respondet n. 170. non habere quidem Episcopum potestatem approbandi pactioes ab ipso initas in proprium commodum, posse tamen illum approbare ab eo initas in utilitatem Ecclesie, & pro bono ejus regimine.

8. Circa quas probationes illud notandum, quod, licet prima & tertia hoc ipsum (nempe posse sine simonia conferri beneficium pinguius, ut dimittatur tenuius) firmet de Episcopo, utpote habente potestatem transferendi de Ecclesia una ad aliam, auctoritative permutationes, & sic paciscendi pro utilitate & bono regimine Ecclesie, nullatenus tamen probeant, posse id ipsum quoque inferiorem collatorem, aut resignantem, utpote destitutum dicta potestate. Procedat autem & de his probatio secunda; si enim dimissio beneficii tenuioris est conditio, quæ de jure inest, à quocunque collatore, veletiam resignante adjici poterit,

*Questio 737. An simoniacum sit coram Ordinario resignare beneficium in favorem tertii ex causa permutationis, dum tertius ille non habet beneficium permutandum?*

**R**espondeo: Talem resignationem esse eo ipso nullam & irritam, tenet Castrop. cit. p. 27. n. 12. citans Less. l. 2. c. 35. n. 100. Suar. ubi supr. n. 20. Garciam p. 11. c. 4. n. 10. Azor. p. 2. l. 7. c. 29. g. 16. eod quod, si quis sciens, alterum non habere beneficium, sic resignet, non intendat permutationem, sed resignare simpliciter in favorem, quam resignationem Ordinarius nequit recipere. Si autem bona fide, putaus alterum habere beneficium, sic resignet, decipiatur graviter, errorque hic datus causam contractui reddat illum nullum & irritum, Rebuffo in pr. tit. de permut. n. 14. sententia contrarium, resignationem nimirum talem & collationem esse validam; Resignantem talem posse agere, ut resignatum beneficium tibi reddatur. Videtur quoque talis resignatio à sciente, resignatarium non habere beneficium permutandum, facta esse simoniaca; quia est resignatio duplex, in favorem coram Ordinario,

*Questio 738. An simoniacum sit resignare cum pacto, ut resignatarius solvat expensas jam factas à Resignante in beneficio illo consequendo?*

**R**espondeo affirmativè. Pirrh. ad tit. de renun. n. 91. (ubi etiam ait, esse id simoniacum contra jus non tantum Ecclesiasticum, sed etiam Divinum; idque quia supponit & tenet sententiam, quæ docet, emere vel vendere jus illud percipiendi finitius annexum rei, seu officio spiritali, esse simoniam juris divini) Azor. p. 2. l. 7. c. 27. g. 7. Castrop. loc. cit. n. 15. citans Less. ubi supr. n. 94. Suar. loc. cit. n. 29. Paris. l. 14. g. 7. n. 1. argumento c. super hoc. de renun. & c. cum pridem de pactis. Deducitur enim hic in pactum onus aliquod, quod de jure non inest resignationi, aut tali beneficio, quod propter hoc, quod istis impensis fuerit obtentum, plus estimari non debet, nec potest, non secus ac domus ideo carius vendi nequit, quia multis expensis eam obrines. Castrop. Pirrh. l. cit. tum etiam, ut Pirrh. quia illæ expensæ non fiunt in renunciando, vel conferendo beneficio ei, cui datur vel ceditur, nec fiunt simul in utilitatem ejus, cui fit resignatio, sed sunt prius factæ in utilitatem & commodum solum illius, qui resignat, & forte per plures annos ex

ben e.